

FUNUS TRIPLEX,

quod

ob præmaturam mortem

Adolescentûm trium summæ spei ac præclaræ indolis
variolis decedentium

VIR PER-ILLUSTRIS atque EXCELLENTISSIMUS DOMINUS

DOMINUS

HANNES CÆSER,

Dynasta in Sahliz & Nenckersdorff.


Electoꝛatus Saxonie Mareſchallus hæreditarius, nec non
Redituum Electoꝛalium Præfectus Primarius

ſenſit acerbiffimum:

Cui levando, & ſimul teſtando ſinceram amicitiam,
quam cum beatè defunctis coluit,
hocce exarare voluit, debuit

GOTTLOB INNOCENTIUS ab EINSIEDEL,

ANNO M. DC. XCVI. d. XXII. Januar. qv̄i erat exeqvialis placidè demortuis.



Cygnée, Typis Chriſtiani Bittorff.





Ic Te denuò, Vir PER-ILLU-

STRIS atq; EXCELLENTISSIME dura pre-
munt fata, & funebres cupressi do-
mum Tuam cingunt; sic iterum atq;
iterum mortis sentis spicula, quæ cor
Tuum configunt; sic præmaturum &
acerbum obitum non unius, sed tri-
um maximæ spei atq; præclaræ indolis

Filiorum doles! Certè Parentis vultum animumqve, hac calamitate concussum, qui vellet effingere, rem susciperet, cui efficiendo esset impar; Quocunqve enim vertis oculos, solitudo liberorum dolorem in animum revocat; si quæris columina & stabilimenta Familiæ, hæc Tibi ex oculis sunt surrepta; si recordaris ingenii optimis literis artibusqve jam exculti, non possunt non hæc tibi gemitus extorquere, & quis omnes istos dolores, quibus animus Tuus angitur, vellet exprimere? Cùm ejusmodi casuum tragicorum mæror comes sit individuus. Verùm VIR PER-ILLUSTRIS atq; EXCELLENTISSIME, dolorem hunc tuum augere mihi non est in animo, sed potius hunc mitigare, allevare, tenui ingenii venâ sum conatus. Parenti itaqve iis, quos habuit carissimos, orbato lugendum esse, Tibi concedo, at modus huic præfigatur: Filios enim Tuos defunctos in hunc mundum tanquam hospitium esse ingressos, ita ut jussu & accitu summi DEI cœleste petant domicilium, iterum egressos, Te non potest fugere. Græci hoc elegantiori nōemate usi sunt, quod latinâ reddere, lingvâ mihi libuit; QVEM DEUS DILIGIT, MORITUR ADOLESCENS. Si gens illa à cognitione & notitia veri DEI remota hos judicaverit beatos, citò ex hoc mundo qui avocantur, ne cum plurimis malis conflictari necesse habeant, multò minus ille, qui voluntatem vitæ necisque arbitri agnoscere tenetur, invidet felicitati præmaturæ. Cùm Anaxagoræ Philosopho esset nunciatum filium ejus vitam cum morte commutâsse, parùm permotus hoc nuntio; ego, inquit, dum genui, moriturum esse scivi, haud esse

esse dolendum plus æqvò ratus, ac re ipsa confirmans ta-
 lem esse sapientis animum, qualis mundi status sit super-
 lunam, ubi perpetua serenitas. Jobus ille non tiro, sed
 miles, ut ita scribere liceat, triarius in castris crucis, bis
 quinos uno die liberos amiserat ruina domus oppressos,
 hinc vestimenta quidem scindebat Pater mœstissimus, at-
 mox se colligebat, Dominus, inqviens, dedit, Dominus ab-
 stulit: Quod si Te cum illo comparare mihi liceat, ut qui
 ferè non minorem Jacturam liberorum es expertus, etiam
 intemperanda Tua mœstitia illum imitabere. Porro
 conqvereris quod eos amiseris, qui condendæ Familiæ ei gò
 à DEO erant mutuati. Rectè dicis mutuatos, hâc e-
 nim conditione DEUS concessit, ut, quando ipsi fuerit,
 visum, eosdem repetat, Et quanquam ab iisdem, quod e-
 gregiè chari fuerint, avelli grave est, ærumnosum est; At-
 tamen velim perpendas, orbitatem Tuam, qui defles Pa-
 ter mœstissime, nihil adversi cuiquam nihil prosperi acci-
 dere casu, sed DEO volente, jubente, quemvis nostrum
 bonis lætari, affligi malis. Quod si DEUS ipse, quic-
 quid expediat nobis, unus omnium optimè novit, opti-
 mèque nobis consultum vult, Jugum crucis, cervici Tuæ
 denuò imponat, quis divinæ voluntati, quæ nunquam non
 bona, quis decreto cœli, quod immutabile, reluctetur,
 refragetur? Potentum voluntatem submissâ veneramus,
 veneratione, ecquis ad genua Potentissimi DEI provo-
 lutus, tam leni imperio promptissimâ manu non subscri-
 bat? Cum augustissimo Patrum Augustino dicens: Pater,
 DEUS est cum blanditur, Pater est cum ferit. Malè
 tandem Te fortassè habet, quod in flore ætatis deciderint,
 cum sperare potuisses, fore, ut aliquando DEO & Proxi-
 mo possent inservire. Verum hæc ipsa maturitas in-
 genii, satis superque index fuit præmaturæ mortis. In hoc
 enim mundo nihil est quod perfectum & undiquaque sit
 beatum, quò magis itaque quicquam ad perfectionem ac-
 cedit, eò magis aspirat ad cœlestia habitacula, ubi sola
 perfectio invenitur. Insuper **DEUS TER O-**
PTIMUS MAXIMUS eundem ferè
 servat modum, quem providus Pater Familias, qui immi-
 nente tempestate fruges maturas colligit, atque in horre-
 um reponit; sic indies vitiorum turbine ingruente DEUS
 dilectos suos in tutum collocat, ne ea sentiant mala, quæ vi-
 tiorum hanc colluviem manent, expectant. Et quid di-
 cam? Filii Tui beatè defuncti dolore hoc Tuo observa-
 tō ita Te alloquerentur: Dilectissime Pater, præclare a-
 gitur cum Tuis Filiis; Fruimur enim consuetudine cœ-
 lestium animorum, non angimur, non frangimur curis,
 non

Le 4417 A

non spe ducimur, sed in re fruimur æterna & beatifica. DEI visione, nihil aduersi timemus sed ridemus hæc sub- lunaria, è carcere in Paradisum, ex ergastulo in requiem, è tristitia in immensam sumus transplantati lætitiã, obitus non est dicendus, sed abitus & per aspera mundi perveni- mus ad astra cœli. Hæc, VIR PRE-ILLUSTRIS atq; EXCEL- LENTISSIME, tecum reputans ab immodico Tibi temporabis mœrore, & licet fluant lacrymæ, eadem tamen etiam de- finant; trahantur ex imo pectore gemitus, sed iidem etiam finiantur. Quod restat DEUM precabor, ut mœstitiæ hac nebula discussa iterum Tibi solem gratiæ reducat, Fi- lium etiam adhuc decumbentem dilectissimum sanitati pristinæ restituat, amissas corporis vires refarciat, atqve Eundem, spem inclytæ domus, fervet diutissimè. **DE- US TER OPTIMUS MAXI- MUS** huic voto clementissimum velit adscribere.

FIAT!



VDTT
M

F.K. 90.

12.

X 2054968

Zc
4417

FU... LEX,
 rtem
 præclaræ indolis
 TISSIMUS DOMINUS
 S
 ÆSER,
 nckersdorff.
 hæreditarius, nec non
 fectus Primarius
 ram amicitiam,
 coluit,
 ab EINSIEDEL,
 at exeqvialis placidè demortuis.
 Bittorfl.



A


Dyna

Electoatus Sa
Redituu

Cui

GOTTI

ANNO M. DC.



30

